



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

33. Feria 6. Domin. 3. Epiph. De Præceptis Evangelij respectu proximi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

mines quò minus se aptent ad gratiam gratum facientem obtinendam, qua nihil utilius: quia ex omni malo transfert ad omne bonum: nihil dignius: quia filios Dæ efficit: & videbo ideo ad amicitiam Dei non pertingere, quia in via se detineri patiuntur: a gressibus, nutritione conservari vitam quietam, & commodam contenti: cives, sensualem, & opulentam: nobiles, gloriosam, & voluptuosam: Religiosi, qui non ex motivo charitatis & timoris Dei, sed suis particularibus agunt, stultorum labore affligi, donec amicitiam Dei excludantur.

*Conf. 3.* Si error, mala consilia, concupiscentiæ me adduxerunt, reducet lex, sancta, consilia, à Deo inspirata desideria. Eluatur culpa contritione, pœna mortificatione: & ut ait D. August. Ser. 15. de verb. D. *Tolle te, tolle, inquam, te, à te, impedis te; Contemne spiritum tuum, accipe spiritum Dei.*

## MEDITATIO XXXIII.

Feria 6. Dom. 3. Epiph.

*De præceptis Evangelij respectu proximi.*

**V**idebo stellas, Lunam, non diei præesse, sed nocti: quia lumen justorum non coram Christo, sed coram hominibus fulgere debet. Petam intelligere quænam proximo debeam.

C 5

Conf.

58 Feria 6. Dom. 3. Epiph.

*Conf. 1.* Omnia quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hac est enim lex, & Propheta Matt. 7. Id cum proportione ordinis intelligendum circa res licitas, debitas, ac honestas. Hinc omni petenti te tribue quod justè & honestè potes, vel donando, vel saltem præstando: Hinc non iudicandi, nec condemnandi alij: corripiendi fratres delinquentes. Notandum tres difficultates corripiendi. 1. Princeps, quia propter auctoritatem putat sibi omnia licere, ideo ita laudatur David, quòd à Nathan suscepit correptionem. 2. Doctus: quia est promptus ad excusandum & defendendum errorem. 3. Homo spiritualis: quia putat se esse sufficienter illuminatum. Modus corripiendi est, collere ante defectum proprium, postea alterius.

*Conf. 2.* Præceptum de dilectione inimicorum, situm. 1. in actu interno, quo syncerè volo salutem eius. 2. in actu externo, quo benefacio odientibus me. 3. in actu interno & externo orando pro ijs, de primo ait Dominus: *Diligite inimicos vestros: Matt. 5.* de secundo: *Benefacite his qui oderunt vos: Luc. 6.* quia probatio dilectionis est exhibitio operis, quando ad salutem ejus est necessaria: de tertio; *Orate pro persecutibus, & calumniantibus vos, ut vel convertantur ad bonum, vel non profundius damnentur.* Si quis dicat:

Ca.

Calumnia turbat sapientem, ei respondendum, sed calumnia non turbat amantem. David, præceptum Evangelicū (si reddidi retribuentibus mihi mala) spiritu prævidit, virtute prævenit, inquit D. Ambros. præfatione in Ps.

Conf. 3. Præceptum eleemosynæ ad quatuordecim capita reductum, ad septem opera misericordiæ spiritualia, & septem corporalia. Si propter opera misericordiæ corporalia neglecta Christus D. tam severum iudicium facturus est, quæ tantum ex minimis præceptis Christi sunt: Quid erit de præceptis majoribus, quale est inimicos diligere: plus enim est inimico ignoscere, quam eleemosynam dare.

MEDITATIO XXXIV.

Sabbato Dom. 3. Epiph.

*De Architecto sapiente, & stulto.*

Proponam ante oculos duplicem Architectum: sicut eos describit Christus D. Sapientem, & stultum. Petam isto evitato illum imitari.

Conf. 1. Architectus prudens est omnis ille, qui subijcit se legi Evangelicæ: Quia prudentis est consultare circa meliora, & seligere utiliora saluti, quod non sit sine observatione legis Evangelicæ ideo comparatur Architecto propter varietatem omnium